

Tractatu p. 71. num. 58. Animalia mera esse Automata,
& instar Automatorum Pneumaticorum aut Hydraulicorum
de loco in locum moveri. Id tamen monendum esse
duco Le Grandium quandoque sibi ipsi contradicere, ut
vel inde elucescat, quam lubrico ejus sententia fundamen-
to nitatur. Ut taceam locum dicti Tractatus de Carentiâ
Sensûs & Cognitionis in Brutis, qui legitur statim ab initio
p. 1. ubi *vivacitatem Sensuum* iis adscribere videtur: Sanè
in Historiâ suâ Natura disertè Animantibus Cognitionem
tribuit, immò vel ipsos homines sensibus à brutis superari
putat. *In Parte nempe octavâ dictæ Histor. Natur. artic. 7.
num. 8. pag. 389.* contemplandum sibi proponit quomodo
Brutæ Animantes tempestates, pluvias &c. indicent, ubi
hæc sibi contraria protrudit verba: *Cum in aere sint quæ-
dam mutationum Tempestatis prebudia, Animantia ob sen-
suum, quibus pollent, vivacitatem (enervum) facilius illas
quàm homines præsentiant, quorum imaginationes objectorum
varietate distrahuntur, & sensus obtusiores habent.* Quid pro-
fectò his ipsis proferri posset clarius, quod magis manife-
stè ostenderet Le Grandium Le Grandio contradicere,
ac sibi ipsi vix constare? Quicquid tamen sit, nugas ven-
dunt Cartesiani, quando Animam Sensitivam Brutis de-
negare volunt, cum Sensus Externi & acris Phantasia, mo-
tusque Spontaneus, qui ab interno principio formâ nem-
pe informante oritur, contrarium testentur.

§. III.

Dari verò propriè in Brutis Animantibus *Sensus* faci-
lè evinci poterit. Naturam nihil facere frustra tritum ac
verum est Proverbium; hinc quia videmus providam
matrem Naturam Brutis nobiscum communia organa
con-